



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

III. De anniuersariis episcoporum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## RVBRICA II.

Quia, secundum Apostolum, qui bene præsunt <sup>1. Tim. 5.</sup> presbyteri, duplice honore habendi sunt digni, in vita scilicet & in morte. Statuimus & firmamus, quod quando contigerit aliquem comprouincialium episcoporum, præsentium vel futurorum de hac luce, Deo vocante, migrare, induatur pontificalibus, & cum eisdem solennibus exequiis præcedentibus, cum solenni Missa pro defuncto sepeliatur, & quam citius fieri poterit, ceteris comprouincialibus episcopis ipsius obitus intimetur per capitulum ipsius ecclesiæ cathedralis, ut orent pro episcopo defuncto. Et quilibet coepiscoporum dici faciat triginta continuas Missas a die notificationis obitus ipsius usque ad trigesimum diem; & refici qualibet die tres pauperes: & in qualibet ecclesia cathedrali & conuentuali una Missa pro ipsius animæ expiacione celebretur solenniter.

## RVBRICA III.

Quia inter cetera remedia, quæ proficiunt ad expiacionem animarum fidelium defunctorum, sunt orationes & eleemosynæ: & illis maxime in his teneamur obnoxii, a quibus nos recognoscimus verbi & operis beneficia recepisse; in quorum numero prædecessores nostri merito possint adscribi, statuimus, & perpetua stabilitate firmanus, quod de cetero semel in anno, vigilia festi sanctæ Praxedis, quod est vigesimo Iulii, in tota

Concil. Tom. 28.

Eeeee

prouincia Rauennate per singulos coepiscopos & capitula ecclesiarum cathedralium fiat solenne anniuersarium pro defunctis coepiscopis totius provinciæ; ad quod clerus & populus conuocetur: & die prædicta quilibet episcopus comprouincium prædictorum duodecim pauperes ad minus refici faciat pro animarum expiatione celeri prædictorum. Si autem ipsa dies caderet in dominica, fiat præcedenti die, vel subsequenti feriata die, quam commodius poterit.

## RVBRICA IV.

Adiicimus insuper, quod de cetero semel in anno, scilicet quarta die Iunii, vel in proxima subsequenti feria, si festum incideret die illa, fiat solenne anniuersarium per coepiscopos in tota prouincia pro expiatione animarum fidelium defunctorum, patronorum & ecclesiarum benefactorum: ad quod, sicut dictum est de anniuersario episcoporum, clerus & populus conuocetur, & ipsa die pauperes reficiantur, ut etiam per hoc fideles ad beneficentiam prouocentur & animentur.

## RVBRICA V.

Statuimus quod si in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conuentualibus, & ceteris, extra altaria reliquiae habeantur, de ipsarum veritate & certitudine, quorum sanctorum sint, per singulos comprouinciales episcopos, in singulis eorum ciuitibus & diœcesibus cum diligentia exquiratur; quatenus de ipsis habita certitudine, deuote ve-